



Q. D. B. V.
12
AVSPICIO RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISS. PRINCIPIS REGII,
FRIDERICI AVGVSTI,
ELECT. SAX. HAEREDIS, ETG. ETC.

DISSERTATIONEM POSTERIOREM,

DE
**EMENDATIONE
INTELLECTVS ANTE
VOLVNTATIS EMENDA-
TIONEM PONENDA,**

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIENT
PRAESES,
M. IO. GEORGIVS VVOLFIVS,

KIRCHBERGA - FRANCVS,

ET
RESPONDENS
GEORGIVS HENRICVS MAIERVS,

STEINSFELDA - SVEVVS.

A. D. IVLII. A. R. S. clo Icc IX.

VITEMBERGAE,
LITERIS CHRISTIANI GERDESII.



DISSERTATIO POSTERIOR ANACKEYACTIKH.

§. I.



E ordine, in emendandis principibus animae nostrae facultatibus, seruando, quanquam uera sanioris Philo- phiae sententia sit, et quibus haec ipsa rationibus atque argumentis nitatur, satis explicatum arbitrör su- periore dissertatione. Sequitur, ut institutum nostrum, diuino freti au- xilio, persequamur, adeoque, contra quos haec disputa- mus, eos ipsos non duntaxat, sed etiam de mo- mento et pondere rationum, quibus inducti, hac in parte ueritatem deferunt, quantum per ingenii uires, et pae- scriptam a Superioribus breuitatem, fieri poterit, dispi- cimus.

§. II. Non autem nouum est, uti uideri poterat, sut heri demum excogitatum fanaticum hoc dogma, sed anti- quisissimi iam Philosophi, ii maxime, qui uel animam homi- nis diuinæ particulam aurae appellabant, uel lumen fal- tem, nescio, quod diuinum per naturam in homine dari contendeant, non prorsus ab eo alieni fuerunt. Ne enim

rem altius repetamus, Platonici sane, quemadmodum omnem
hominis emendationem, quam illi purgationis titulo insigni-
re solebant, in abstractione atque separatione animae a mate-
ria seu corpore, et, quam hac ratione procurare sibi vide-
bantur, introuersione ac reditu in semet ipsam, colloca-
bant: ita eo operiosius atque prius ante omnia de uoluntate
laborandum esse, existimabant, quo hanc ipsam archidi-
uinculo atque commercio per affectus appetitionesque suas
coniunctam cum corpore atque copulatam esse credebat.
Dummodo igitur in ordinem redigeretur uoluntas, et af-
fectus uel compescerentur, uel, quod nonnulli postula-
bant, plane eradicarentur, fore, ut ultro ac sponte sua lu-
men istud insitum radios suos, haec tenus impeditos, uberri-
me de se spargat, mensque adeo tota, dum hac ratione eo-
rum, quae, per communionem cum corpore, obliuione
quasi sepulta erant, recordari incipiat, ad summum perfe-
ctionis gradum euehatur. Ita mentem Platonis et discipu-
lorum eius ex ipsis eorundem scriptis ac monumentis stu-
diosissime exposuit *Celeberrimus Christ. Bueerus*, tum alibi,
tum in primis in *Platone mystico C. I.* p. 27. *VVo die Seele*, ita ex
mente eorum loquitur, wieder könnte durch eine Einkehr in sich
selbst, und Erhebung des Gemüths von dem materialischen *VVesen*
und Geschäffen gereinigt, und mit dem (*intellectu agente*) dem
idealischen Lichte vereiniget werden, werde ihr ein göttliches Licht
eingegessen, mit welchem sie in Gottes Erkennniß eindringen, alle
Dinge hell, klar, und deutlich, wahrhaftig und vollkommen erkön-
nen, und endlich gar wieder zu ihrem Vrsprung gelangen könnte,
conf. eiusdem *Menses Pierist. Mens. III.* p. 152. 153. nec non *Mens.*
VIII. p. 292. Omnia uero optime dilucidissimeque in his,
quae ad institutum nostrum faciunt, Platonicorum senten-
tiam in aprico collocauit Summe Venerandus atque Ma-
gnificus Dn. D. Neumannus: Ceterum ipsius voluntaris ια-
σαρτις, inquit, in coercendis maxime affectibus ponitur (scilicet
iuxta mentem Philosophorum Pythagorico - Platonicorum)
quos pro ἀλόγοις ac brutis habebant illi, nec compescendos tantum
iudicabant, sed supprimendos et penitus euellendos. Itaque, in-
uerso

uerso prorsus ordine, purgandae prius voluntati dabant operam,
quam de illuminando intellectu laborarent. Poiret. Fanat. §.IX.
Pag. 9.

§. III. Post Philosophos paganos, intra ipsius Ecclesiae
pomoeria, ita docere sustinuerunt, quotquot non tam re-
uelatione divina, sacris literis comprehensa, aut fana sim-
plicique philosophandi ratione, quam arcanis abstrusisque
Pythagoraeorum et Platonicorum dogmatibus delectaban-
tur. Quemadmodum enim ex hoc fonte tota Theologia
Mystica, qua corrupta est, manasse constat: ita *Mysticis Do-*
ctoribus solenne, et fere proprium est, uoluntatis purgatio-
nem ante intellectus illuminationem ponere. Id quod uel
sola trita illorum uia intendit, quam tergeminam faciunt, et a
purgativa uoluntatis ad illuminatiuam intellectus pergunt, denique
in unitu confidunt, quippe qua se ad *αποθέωσιν* ascensuros esse
credunt, docente *Summe Reuer. Dn. D. Neumannno l. c.*

§. IV. Cartesianos quoque, in corrigendo hominis ani-
mo, omnia uoluntatis emendationi tribuere, ipsa huius
Philosophiae principia demonstrant. Quis enim nescit,
apud hos Philosophos nihil esse frequentius, quam intel-
lectum ab errore absoluere, omnium uero, qui communica-
ter intellectui adscribi solent, errorum causam constituere
uoluntatem, quae si recte fuerit ordinata, nihil amplius
necessitate, ad potestatem nunquam errandi adipiscendam? Ne-
que possunt non ita docere per hypothesin suam, qua ge-
nuinas uerisimilasque rerum, si non omnium, saltem pluri-
marum, ideas per naturam dari in mente nostra, somniant,
quas quidem non intellectus, per occasiones aliunde acce-
ptas, formet, ita enim omnino errare posse concedendum
foret, sed, cum prima origine inditas, perpetuo, veluti
thesaurum quandam absconditum, in sinu suo circumge-
set, et, nisi a uoluntate fuerit impedita, expromat, atque
in illis ac per illas omnem ueritatem cognoscendam pre-
beat. Evidem de *Carteso* ipso mitius fortasse sentiendum
erit. Aliquando enim a ueritate eo adigitur, ut non tam
ipsas rerum imagines, quam facultatem saltem, easdem

effermandi, menti nostrae insitam esse fateatur. Quamvis alibi mentem suam hac de re satis aperie his uerbis declarauerit: *Cum autem mens, quae se ipsam nonit, et de aliis omnibus rebus adhuc dubitat, undique circumspicit, ut cognitionem suam ulterius extendat;* primo quidem inuenit apud se multarum rerum ideas, quas, quamdiu tantum contemplatur, nihilque ipsis simile extra se esse affirmat, nec negat, falli non potest. *Princip. I. artic. XIII.* Eorum uero, qui ueftigii Cartesii presus inſitunr, plurimi haec talia, ueluti oracula quaedam, palam, atque ingenti cum affueratione approbat, commendant, propugnant. Sufficiat nobis, ad fidem dictis nostris faciendam, e multis citasse Herm. Alex. Roëllium, qui, uti integrum suam dissertationem prolixam: *de Religione Rationali*, in fauorem idearum innatarum scripsisse uideri posset, ita, quam parum ipsis cum sententia nostra conueniat, facile, qui rem diligentius expendet, iudicabit. *Quis est nostrum*, ait: §. XXIV. p. 22. *qui non in ipso mensis suae penetrati contemplari queat uariarum, nec dicam omnium, rerum, & ipsis quoque DEI, ueluti cum ipsa nascendi origine coniunctas et a natura insitas ideas, formas? etc.* Et has ipsas omnis scientiae, omnis sapientiae, omnisque uirtutis semina, fundamentum et normam constituit ibid. cont. §. XXIX. p. 26. §. CXIV. p. 123. et §. CXIX. p. 130. *DE VM* quoque ipsum earundem facit in nobis pictorem §. XXVI. p. 23. Intellectui uero, quod ex antecedentibus necessitate quadam consequitur, parum relinquit, et omnia propemodum, que in anima nostra fiunt, ad uoluntatem refert. *Intellectus*, inquit, *ea tantum natura est, ut res cognoscere, (id est) in idea sua et forma contemplari atque intueri possit: uoluntatis, ut circa id, quod ab intellectu affetur, libero se, spontaneo et consentaneo motu determinare, et, prout ueri falsoe, boni aut malii prae se fert speciem affirmare aut negare, amare aut odire, eligere aut repudiare quidque possit.* §. L. p. 47. Et tandem, omnes errores omniaque uicia inde pululare, afferit, quod uoluntas latius pateat, quam intellectus §. CXXIV. p. 136. Quae si uera sunt, quid opus est, multam intellectus emendandi curam habere? cum omnia redeant

ad

ad emendationem uoluntatis? Sed nolo de his quicquam
amplius hoc loco commemorare, quam quod facile in En-
thusiasmum et crassi-simum Fanaticismum possint degenerare.
Certe egregium tantoque Philosopho dignum est iudicium
acutissimi & celeberrimi Gerard de Vries Exercit. Ration. de ideis
innatis p. 14. Quae, quoties expendimus, non est, quod miremur,
Cartesianum iam toties desisse in Enthusiasmum. Exemplo id
egregio comprobant duo primarii horum sacrorum Epopae et
Mystagogi, Malebranchius aue Poiretus, tametsi nulla parte in
afferendis concreatis ideis tam longum progressi, quam noſter. (intel-
ligit autem Roëllium) Pulcherrime ſilicet ſibi respondent ideae a
ſolo D E O in mente p i ñ a e, et, quas hic tantopere commendat, co-
gitationes ſibi luminose occurrentes, ueritates centralifimae, reali-
tates luminofae, queaque bis familiâ mysticae Theologiae arcana,
non niſ Tauleris, Rusbrochii, a Cruce, diuinis plane, quicquid
coeci gaſtant, contemplatoribus, intelligenda. Ceterum, quo-
modo Poiretus a uera ſententia diſcedat, exposuit laudatus
Dn. D. Neumannus l. c. §. XXVI. etc. Malebranchius autem,
quamuis de ideis inſriatis paulo aliter, atque ceteri Carteſia-
ni, docere ſoleat, uoluntati tamen omnem animi noſtri
emendationem attribuit. Dummodo enim uoluntas fit pur-
gata, et affectus una cum ſenſibus ſileant, fieri putat, ut
mens noſtra arctius arctiusque cum D E O uniat, in quo
deinceps omnium rerum ideas uideat, atque intueatur de
Inquirenda Veritate paſsim, inprimis Libro III. C. 6.

§. V. Sed non in ſolis Philofororum ſcholis nidula-
tur dogma erroneous, uerum, quemadmodum pulchre,
quod modo dictum, cum Fanaticismo cohaeret, et, veluti
vinculo quodam, cum eodem eft copulatum, ita mirum
non eft, iis quam maxime hoc tempore arridere, qui, quic-
quid fanaticum eft, aut excuſant et palliant, aut amplectun-
tur ipſimet, ac ſuum faciunt. Hinc non tantum omnem
animi noſtri deprauationem omnia pietatis impedimenta a
ſola uoluntate deducunt, ſed et, quicquid boni deinceps
fieri in nobis debeat, illud non in intellectu, ſapientiae et
prudentiae humanae ſede, ſed uoluntate initium ſuum ca-
pere

pere debere, arbitrantur. Apparet, inquit, Christ. Thomasius
Diff. an haeresis sit crimen, §. V. p. 15. a voluntate eiusque affectibus
omnem profuere et corruptionem et emendationem intellectus,
ad eoque conceptum ueri in intellectu, nunquam per se producere boni
quid in uoluntate? Omnem igitur ueram animi nostri corri-
gendi rationem per tres illas Mysticorum uias, de quibus su-
pra diximus, institui oportere contendit in Epilogo Introductio-
nis in Phil. mor. §. 5. Amorem quoque primum facit moralitatis
principium, ad quod omnia tanquam ad finem ultimum referri, et
similiter, tanquam ad primum cognoscendi principium examinari de-
beant ac iudicari, quorsum uid. Excellentissimus Henr. Klausius
Dissert. de Amore Rationali. §. 2. Atque haec talia, quoniam
praeterea insigniter pietatem mentiuntur, hinc magno con-
fensus ab iis, qui hodie externa pietatis specie mundum deci-
piunt, approbantur ac defenduntur. Quid Joachimus
Langius, hac de re sentiat, constat inter eruditos. Qui qui-
dem, monitus a cordatioribus, tantum abest, ut sententiam
suam mutauerit, ut potius, quod ante in Medicina mentis
hypotheticę posuerit, se iam fine conditione afferere dicat:
das in der Seelen Cur dem VVille für den Verstand (der doch kei-
nes weges darbey versäumet werden müsse) allerdings ein Vorzug
gehöre, in den auffrichtigen Nachrichten ad Annum 1705. der V. N.
p. 131. Neque uero, quod uideri poterat, de supernaturali
tantummodo mentis humanae restitutione ita statuit, sed
eadem ipsi et sanioris Ethicae sunt fundamenta atque princi-
pia. Sic enim P. VI. C. III. §. XXVIII. Medic. Ment. scribit:
quia ne naturaliter quidem intellectus sine uoluntate et haec sine illo
sanari potest; sanioris Ethicae ubique ea posita sunt fundamenta,
sparsaque semina, ut banc Medicinam mentis tractanti, quod spero,
non opus sit peculiari Ethica, a sanatae mentis habitu diversa.
Consentit Auctor anonymus libelli Liche und Recht: Nun
ist es umsonst, ait p. 143, daß man suchen ein Licht in den Verstand
zu bringen, so lange das Herz und der VVille des Menschen böse
ist, und ist eine verführliche Lehre, daß erst der Verstand müsse
uerbessert werden, und darnach der VVille. Quae etiamsi pri-
mario ex mente Auctoris de intellectu et uoluntate spiritua-
liter

liter emendandis intelligenda sunt, satis tamēn constat, ean-
dem homines istos de emendatione quoque morali atque E-
thica sententiam fouere. Hinc etiam noster, si aliter in Phi-
losophia doceatur, id pro absurditate quadam ac stultitia re-
putat: *Es wäre den Philosophen und VVelogelehrten diese Thorheit
noch zu gut zu halten, wenn auch nicht unter den Schriftgelehrten.*
etc. p. 142. Quam in rem erudite iuxta ac sapienter differit S. R.
Dn. D. Fectius: iam res eo deuenit, ut non tantum sacrarum re-
rum, sed et Philosophicarum, nescio, annon et Physicarum Mathe-
maticarumque notitiam cum pietate indissolubili vinculo coniungant.
Credo, breui futurum esse, ut et res Mechanicas eidem vinculo in-
neuant, neque Suorem, si sit irregenitus, calceum suum ex uera
scientia, sed ex falso et mendaci facere proclament. Certe ex uno
eodemque principio (nempe de uoluntate ante intellectum e-
mendanda) utrumque et afferitur, et negatur: Exam. lib. Licht
und Reebt. p. 46. Facit cum his, quem haud ita pridem una
cum Christ. Thomasio confutandum sibi sumvit meritissimus
Scholae Hilperbusanae Rector M. Mich. Henr. Reinhardus Differt. de
moralis doctrinae et præcipue morborum uoluntatis genuino sys-
temate; in primis §. XXI. Imo non errauero, si dogma hoc
inter περὶ τὸν ἡσύχον hodiernorum Pietistarum retulero. Si
enim causam quaeras, cur Theologiam piorum statuant u-
nique ueram? impiorum uero ac irregenitorum mox Philo-
sophiam de rebus sacris, mox plane Diabolicam appellant?
cur Polemicam Theologiam detestentur ac damnent? cur
experientiam gustumque uoluntatis constituant prin-
cipium Theologiae? cur sanctificationem et renouatio-
nem in ordine salutis nostrae collocent ante ipsam illu-
minationem? cur illuminationem absque sanctificatione
nunquam esse, imo ne esse quidem posse, contendant? cur
denique totam salutis oeconomiam fideique analogiam euer-
tant? deprehendes postremo, omnia haec redire ad falsis-
simam istam hypothesis: quod uoluntas ante intellectum,
atque hic per illam et posit et debeat emendari. Huc etiam
pertinent omnes illi Fanatici, qui lumen seu uerbum quod-
dam internum atque diuinum, cum Philosophis Platonicis,

iactitant, quorum integrum catalogum nuperime dedit
Magnificus ac Summe Reuerendus Dn. D. VVernsdorfius, Patronus
noster, et studiorum Promotor, omni observantiae, pietatis, atque ob-
sequii cultu ad cineres usque deuenerandus, Dissert. de Verbo DEI
Scripto §. XVII. seqq. p. ii. seqq. Quemadmodum enim per so-
lum hoc lumen ad summam in hac uita perfectionem per-
ueniri, sibi persuadent; sic id ipsum nonnisi per purgatio-
nem voluntatis affectuumque dominationem a fauillis ac circu-
ribus, sub quibus haetenus lateat, liberari posse, ita, ut dein-
ceps in flammarum erumpat, contendunt.

§. VI. Sed quid opus est, cumulare testimonia adver-
sariorum? Restat enim, ut etiam argumenta, quibus contra
nos pugnant, examinemus. Quae si quis summatim consi-
deret, deprehendet, eadem ferme ab omnibus, quos citauimus, adhiberi, quamvis diuersissimo prorsusque contrario
instituto atque consilio. Enimuero Cartesiani, perrationes
mox afferendas, excellentiam dignitatemque intellectus fu-
pra modum extollere eumque tantum non infallibilem red-
dere, intendunt. Quibus tamen iisdem Fanatici horumque
patroni ad deprimentium illum et plane de loco suo dimo-
uendum utuntur. Eo enim tendunt omnia, (uerba sunt sae-
pius laudati Dn. D. Loefcheri Praenot. contra Dogmat. Subtil. Fa-
nat. Praenor. I. §. i. p. 251.) ut relegato intellectu, tanquam organo
et subfido, a summo rerum Conditore constituo (eoque ad agnitio-
nem dependetiae, limium, et miseriae nostrae undique nos com-
pellente) mortales ad autonatatorum statum aspirantes, ad uo-
luntatem suam, saltēm oeca persuasione reducant omnia et sibi fa-
piant. Ut mirari posles, quomodo idem, stabiliendis senten-
tiis, sibi inuicem e diametro oppositis, inseruire queat.

§. VII. Primum autem idque palmarium, quod argu-
menti loco afferunt, est falsissima illa hypothesis, qua, uo-
luntati, tanquam Dominae atque Reginae, absolutum quod-
dam imperium dominiumque non tantum in reliquas ani-
mae nostrae facultates, sed in ipsum quoque intellectum
competere, assertur. Hoc enim posito, dubium non esse
colligunt, quin uoluntas omnis mali in mente nostra uel
ma

ma ueluti scaturigo existat, quae nisi ante omnia in ordinem redigatur, frustra esse, quod in emendandis ceteris animae potentis collocatur, studium. Ita sentiunt, cum Scholasticis nonnullis, multi ex Cartesianis; quippe qui, ut ueras rerum ideas, quod supra dictum est, intellectui iam inditas esse credunt, ita, quo minus illae semper in cognitione rerum prodeant, et sese sistant, nihil, quam voluntatis imperium, obstare, persuasum sibi habent. Consentit Christ. Thomasius, quando in libello de Remedio Amoris Irrationalis Cap. XV. §. 7. *Supra*, scribit, prolixo ostendimus, quod in homine non intellectus voluntatem, sed voluntas intellectum gubernet, et in Dissertatione ad Poireti libros de Erud. solidam etc. quintam suam hypothesis: *Amor illuminat* etc. ita declarat: b. e. voluntas est norma et dux intellectus, non intellectus voluntatis. p. 7. conf. eiusdem Fundamenta Iuris N. & G. lib. 1. Cap. 1. §. 46. ubi ita loquitur: *in affirmatione boni et mali, quod nos ipsos afficit, in meditatione de mediis ad bonum consequendum apis, semper intellectus impulsu voluntatis subest, tantum abest, ut voluntas in appetendo bono et fugiendo malo dirigatur ab intellectu. Non enim, quia aliquid bonum uidetur intellectui, voluntas illud appetit, sed ideo, quia voluntas quid appetit, id bonum uidetur esse intellectui.* Nec non D. Antonius, Theologus Halensis, qui in *Dissert. de Aestimatione rationis Theologica* p. 13. doctrinam de uniuersali voluntatis in intellectum imperio, tanquam dogma exploratissimum defendit uid. *Unschuldige Nachrichten ad annum M DCC IIX. p. 495.* Ast enim uero, quamuis intimam commercii illius, quod souent dueae hae facultates, rationem, et quomodo altera cum altera, uel in alteram agat, definire praecise nequeamus; ad hoc enim perfecta accurataque et ipsis animae eiusque facultatum, et harum tum a se inuicem ipsis, tum ab anima differentiae cognitio, de qua nullus mortalium gloriari potest, requiritur: ex his tamen, quae hactenus constant, quaeque omnis, qui aciem cogitationum suarum in se ipsum reflectit, experitur, manifestum est, non posse voluntati eiusmodi in intellectum imperium tribui. Quo enim iure illa animae facultas,

cultas, quae nihil aliud agit, quam ut ab alio delata, concepta, circumspeta, iam decisa, iam diiudicata, et quidem alieno praelucente lumine eligat, eademque uel approbet et appetat, uel reprobet ac detestetur, ita simpliciter imperare dicetur ei, quae desert, quae concipit, quae circumspicit, quae decidit, quae diiudicat, quae praeluet? Annon potius imperii (si omnino hic locum obtinere debet) partes inter utramque facultatem diuisas esse, statuendum erit? At repugnare tamen, dicunt, uoluntas intellectui meliora dictanti potest, et saepissime quoque auctu ipso repugnat, quod comprobat uel solum illud Medeae apud Poetam:

video meliora proboque,

Deteriora sequor.

Potest, fateor. Numne uero 1.) propterea imperare eidem, et quidem abiolite, atque uniuersaliter imperare dicenda est? non magis certe, quam homo male feriatus qui uiro prudenti bona consilia danti, refragatur, aut aegrotus, qui salutaria medicamenta, a Medico praescripta, recusat, dici meretur imperare uiro prudenti, uel Medico. 2.) Aduersatur utique haud raro intellectui uoluntas, eundemque impedit, quo minus recte, quid uere bonum malumque, quid sequendum uel fugiendum sit, iudicet. Verumne tunc quidem omne statim in iudicando uitium soli uoluntatis imperio tribuendum est, quod semper quidem, nec in hoc tantummodo casu, sed male profecto, faciunt Aduersarii, uerum prima eius causa in ipsa intellectus corrupta post lapsum indole, nidualatur, qua ille sibi relietus per naturam suam est ignavus, rudis, negligens, iners, inconstans, mobilis, credulus, ad praecipitantiam inclinans, facilis ad affersum etc. Ea inquit, *Hamelius Metaph. Tract. III. quæst. III. of mentis nostræ indole*, ut non utique progredi, sed euolare gestiat, et res ipsas leuiter ac cursim attingere. Hinc magna in idis nostris oritur confusio, quod res ipsas inconsiderate, non defixis uelut oculis, et intento animo intueamur. Neque uero et hi ipsis, quos intellectui adscribimus, defectus, eorum-

eorumque correctio mero uoluntatis impulsui ac directioni originem suam debent, quod impudenter et contra propriam experientiam urgent Antagonistae. Quis enim est, qui ad se ipsum et ad ea, quae in animo suo sunt, attendens, non experiatur, laborare intellectum morbis illis, etiam nolente uoluntate, saltem non actualiter uolente, tolli uero eosdem aut curari a sola uoluntate non posse, etiamsi tolli et curari centies haec ipsa uoluerit? Quod multis demonstrare prolixiusque per singula deducere, non patitur iniuncta nobis breuitas. 3.) Vniuersale vero, quod singunt, uoluntatis in intellectum imperium, tantum abest, ut illa, quae nobis opponitur, ratio afferat, ut potius destruat, penitusque euertat. Qua enim, quaeſo, ratione dici poterit uoluntas intellectui resistere? aut quomodo Medea penes se cogitare atque iudicare potuit illud: video meliora, proboque; si omne intellectus iudicium dependet a uoluntate, et ita quidem, ut illud tantummodo iudicet bonum, quod haec appetit? Et quoties non uidemus, cum uoluntas uitiosis passionibus nimis uexatur, egregias tamen in intellectu ueritates agnoscit? quoties non animaduertimus, sceleratissimos saepe homines magno ardore ac zelo inuehi in uitia, uirtutem autem probare, et dignis extollere praeconis, genuinisque suis depingere coloribus? Ut nihil iam dicam de eo, quod nunquam uoluntas principia communia primasque ueritates nobis impressas immutare, aut directum mentis contra easdem assensum impetrare posit, quod non nisi is, qui humanam naturam exuere uoluerit, inficiabitur. Sed 4.) quid opus erat, haec tam operose persequi? pone, imperare intellectui uoluntatem saepius, (uniuersale enim non esse hoc imperium clarissime euincunt ea, quae modo diximus) quid tum postea? an sequetur inde, quod intendis, uoluntatem nempe ante intellectum emendari oportere? ediffere ergo rationem et modum, quo fiat, saltem, quo fieri possit ista haec uoluntatis emendatio. Non per ipsam uoluntatem certe: in hac enim, nisi ipsam eius notionem naturamque

tollere uelis, nihil inuenies, quod, sine praevio luminis cuiusdam concursu, praestare eam ualeat. Quomodo igitur? forsan (hoc enim est, quod corde premunt) per verbum internum, per lumen insitum, per scintillam sentiae diuinae, per uirtutem saltem extraordinariam ac diuinam, quae uoluntatem immediate immutet ac corrigit? Ita uero habemus crassissimum Fanaticismum atque Enthusiasmum. Cur autem non potius per subsidia, quae supersunt in intellectu, et accendentem mentis *animum* seu uigorem, quibus illa uoluntatis rebellio reprimatur atque coercentur. Sed nimis prolixii, postulante ita rei grauitate, in confutando primo arguento fuimus, licebit autem eo breuiores esse in reliquis, quod ex hoc fere fonte illa promantur.

s. VIII. Fluit uero etiam *secundo* error hic exinde, quod homines isti docent, intellectum esse facultatem mere passiuam, adeoque non intellectum, sed uoluntatem iudicare. Quod inculcant non modo Cartesiani Malebranchius, Norrissius, Forgeus, Roëlius, aliquie plures, sed etiam *Observatores Halenses Tom. II. Obs. XII. p. 281. §. XIII.* ubi intellectus disertis uerbis dicitur *principium passuum, non actuum, quia patiatur a uoluntate, et contra uoluntas non patiatur ab intellectu;* imo §. XIV. ideo non ad formam hominis pertinere intellectus, asseritur, quod sit *merum instrumentum seu principium passuum.* Quae si uera essent, multum roboris Aduersariorum sententiae accessurum esse, haud inficior. Verum hac ratione 1.) non amplius illud dicendum erit uoluntas, quod hactenus unanimi consensu dictum est, nec illud appellandum intellectus, quod communis suffragio appellatum est. 2.) Ipsi Cartesiani intellectus naturam ponunt in cogitatione: referunt quoque ad eundem claram illam et distinctam perceptionem, quam pro regula ueritatis uenditant: rationis uero, conscientiae, ingenii, subtilitatis, perspicaciae similiumque dotum propriam ueluti sedem non tantum Cartesiani, sed etiam Thomasius ceterique constituant intellectum. Quae quidem omnia, quem

quemadmodum activa sunt, ita tribui illi, nisi actius, nisi
iudicandi facultate instructus, esset, nequaquam posset.
Quid? quod 3.) intelligere aequa ac uelle proprie et for-
maliter etiam DEO conuenit, cui sane non posset con-
uenire, si esset merum pati. Scilicet differt intellectus no-
ster a diuino tantum in eo, quod ille per plures operatio-
nes hic per unicam et simplicissimam actionem intelligit.

Conf. Ger. de Vries Diatr. de Ideis innatis p. 25.

§.IX. Hisce Aduersariorum argumentis succenturiatum
est tertium illud, quo intellectum ab omni notabili noxioque
errore absoluunt, ut hac ratione illi prorsus nulla, adeoque
nec uoluntatis correctionem antecedente, emendatione
opus esse, euincant. Cartesianos signatim magno numero
hanc hypothesin inculcare, nemini, qui limen tantummo-
do huius Philosophiae salutauit, ignotum est. De Indif-
ferentistis autem Fanaticisque hodiernis res pariter est in
aprico, ut, si multa, ad istud probandum, testimonia affer-
rem, uix operae pretium facturum me esse, existimem.
Quod si uero paulo studiosius accuratiusque in hancce
stropham inquiramus, deprehendemus, eos, qui non plane
sine omni ratione coecoque impetu errant, hunc suum er-
rorem in duabus illis, quas modo confutauimus, rationibus
fundatum habere. Ideo scilicet intellectum nullius erro-
ris insimulandum esse censem, quod non sit sui iuris, sed
unice a uoluntatis imperio dependeat; deinde quod non
ipse, sed uoluntas, judicet. Quo quidem utroque lubrico
fundamento destructo, illud quoque, quod eidem inni-
tebatur, corruat, necesse est. Ceterum, quam uarie intelle-
ctus erret, et quantum isti errores noxam in omni uita post
se trahant, id toto die testatur experientia. Ut adeo non
sum mereantur uerba Thomafii: *Lutherum humani quid
passum esse, quod in mensa literis maiusculis scripsit uerba: hoc
est corpus meum; debuisse potius perpetuo mente uolitare non
uerba, sed sententiam et uim legis Christi; amate uos inuicem.*
Dissert. in Poireti libr. de Erud. fol. p. 23.

§.X.

§. X. Restat quartum, in quo sententiae suaepesidi-
um querunt veritatis hostes. Dicunt enim *omnium prae-
iudiciorum*, ex quibus errores omniaque uitia et mala animi
nostris immediate orientur, *subjectum et causam esse uolun-
tatem*, cuius proinde emendatio uel hanc solam ob
rationem primo omnium fieri debeat, quia sine dubio a re-
motione praeiudiciorum omnis emendatio sit ordienda.
Sane Cartesiani, uti iudicium referunt ad uoluntatem,
ita non possunt non etiam praeiudicia, quae nihil aliud
quam praeposta et immatura iudicia sunt, eidem tri-
buere. Fanatici uero eorumque Patroni Poiretus, Tho-
masius, Ioach. Langius etc. illa omnia ex philautia, uo-
luntatis affectu, deriuant. Sed enim uero 1.) nitor
hoc assertum, imprimis quod ad Cartesianos attinet,
falsis illis hypothesisibus, quas in antecedentibus remouimus.
2.) Negamus, omnium et singulorum errorum
ac praeiudiciorum causam existere solam uoluntatem.
Id enim haec tenus ab aduersariis non potuit sufficienter
probari; nobis uero contrarium, quod quilibet seipsum
diligenter perscrutans observat, prolixe hoc loco ostendere,
neque paginae angustia permittit, neque ad institu-
tum adeo est necessarium. Etiamsi enim 3.) conces-
deremus omnia praeiudicia ortum suum ducere ex phi-
lautia, nondum tamen haberent illi, quod uolunt, quia
nos nouum nasti essemus telum, quo eos petere posse-
mus. Philautia enim, quamvis formaliter eam in uo-
luntate esse, haud inficiemur, radicaliter tamen ac fun-
damentaliter est in intellectu. Ergo, ab intellectu, in quo
radix, in quo fundamentum philautiae datur, initium
capere ueram emendationem debere, quis
dubitabit?

S. D. G.

ULB Halle
003 620 00X

3



5b,

VII

17





12

Q. D. B. V.

AVSPICIO RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISS. PRINCIPIS REGII,

FRIDERICI AVGVSTI,
ELECT. SAX. HAEREDIS, ETG. ETC.

DISSERTATIONEM POSTERIOREM,

**DE
EMENDATIONE
INTELLECTVS ANTE
VOLVNTATIS EMENDA-
TIONEM PONENDA,**

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIENT

PRAESES,
M. IO. GEORGIVS VVOLFIVS,
KIRCHBERGA - FRANCVS,
ET
RESPONDENS

GEORGIVS HENRICVS MAIERVS,
STEINSFELDA - SVEVVS.

A. D. IVLII. A. R. S. cIɔ Icc IX.

VITEMBERG AE,
LITERIS CHRISTIANI GERDESI.